

## NOVUS DIURNARIUS LATINUS — UN BON RÉCIT VAUT BIEN MIEUX QU'UNE LEÇON

29 Mai 2015



Ab itineribus caelestibus haec commentariola exorsi, ut generis humani magnitudinem laudaremus potius quam ejusdem pravitatem reprehenderemus, nunciam in has terras revertemur, ne a rebus quales nunc sunt aufugere videamur, siquidem Latine scribimus.

Nam paucis hebdomadibus postquam Philarum res gestae erant, quis, proh dolor, haec nefanda ignoret ? mense Ianuario ineunte, atrocibus caedibus multitudinis territandae gratia in Gallia patratis, Lutetia Parisiorum necnon in praecipuis urbibus Gallicis, « ambulatio silentiosa » facta est ut nostrates homines orbi terrarum se tantam barbariem una voce respuere huiusque rei publicae singulos cives consociatos esse ostenderent ; qua occasione libertatem, cuius vocem terrores exstinguere cupiverant, caput tamen extulisse multis nostrum quidem visum est.

Paulo post, nonnullas admonitiones in lucem editas esse per rete meminimus, quibus aperiebatur quemadmodum parentes de istis caedibus cum liberis suis colloquerentur, atque fere sub idem tempus magistri, plerumque in collegiis, se iisdem de rebus discipulis suis verba non absque difficultate fecisse confessi sunt neque in classibus suis momentum silentii semper effecerunt ut observaretur.

Quae cum ita essent, rei publicae summi antistites auctores fuerunt ut scholae doctrinae moralis in ludis collegiisque restituerentur eo consilio ut puerorum juvenumque animi iam inde a tenera aetate bonis artibus imbuerentur.

Sunt autem qui talem disciplinam utilem fore ad pacem tuendam inter cives diversarum religionum dubitent. Ceteroquin ad hoc propositum pauca praecepta sufficiant, immo hoc, quod Socrates apud Platonem bene nobis praecipit, nonne iam satis est superque ? Οὐ τοῦ δικαίου βλάπτειν ἔργον οὔτε φίλον οὔτ' ἄλλον οὐδένα, ἀλλὰ τοῦ ἐναντίου, τοῦ ἀδίκου. (*De re publica*, 335 d.)

Nam ut verum dicamus, quid, in hac re, plus valebit umquam exemplo ? Quod si illa occasione mihi fuissent pueri edocendi, forsitan nihil aliud quam hanc Tolstoïanam narrationem iis proposuissem. En vobis eam :

Fuit quondam puer optimi ingenii, nomine Nicolaus, qui animum in hanc difficultatem intendebat, ut quae esset optima via agendi rescisceret.

« Quamvis bonus esse velim, inquebat ille, quid faciam ad hoc consilium non semper ad liquidum apparet. Mihi sunt enim hae tres quaestiones solvendae :

Quod tempus opportunissimum est agenti ?

Cui homini plurimum faciam ?

Quid agam prae omnibus rebus ? »

Illius pueri autem fuerunt tres amici : ardea, canis, simius. Ardea vero haec verba fecit :

« Si quis opportune agere velit, opus omnia prius paret quam propositum peragat.

- Immo, respondit simius, equidem nihil antiquius habeo quam ut singulis occasionibus animum adtendam. »

Tum canis : « Mea quidem sententia, inquit, tibi opus est vigili custode. »

Nicolaus tamen eos percontari perrexit : « Sed quid de secundo censetis? Cui homini plurimum faciam ? »

Cui ardea : « Homo e ceteris praestantissimus is est qui proxime superis versetur » ac talia fata volucris aethera coepit secare pinnis.

Simius autem : « Is, ut mea fert opinio, qui aegrotos sanandi potestatem habeat. »

At canis : « Is potius qui leges instituerit. »

Ad tertium quaesitum, quid esset praecipue agendum, ardea : « volare », simius : « nugari », canis : « luctari » respondit, eaque cum Nicolai expectationem nequaquam explevissent, denique consilium iniit testudinem quandam adeundi quae, omnium existimatione, famam sapientiae adepta erat.

Cum illa sapiens in cacumine montis incoheret, Nicolaus viae fortiter se commisit atque, postquam ad metam pervenit, testudinem agellum pastinantem, idque non parvo labore, nactus est. Cui videlicet tres quaestiones suas declaravit. At nihil aliud quam ei benigne subrisit testudo. Tunc Nicolaus : « Cedo, inquit, palam tuam, nam mihi labore vehementer defatigata esse videris ; sine igitur te adjuvem ». Quibus dictis tanto studio operam dedit ut demum totus agellus pastinatus esset.

Tum repente ventus valdissimus coortus est nubesque caelum obduxerunt et magna vis pluviae in terram decidit. Cum Nicolaus domum curriculo sese reciperet ne madefieret amplius, necopinato aliquem magna voce opem implorantem audivit. Itaque proximam silvam confestim petivit in qua ursula quaedam misere jacebat, cruribus evulsae arboris trunco obrutis. Cui vulneribus confectae statim auxilio venit eandemque ad testudinis aedes inter manus ablatam in lecto posuit, quae arcte obdormivit.

Neque diu tamen somno sepulta est, quippe quae, mox experrecta : « Ubinam sum ? exclamaverit ; atque ubi est catulus meus ? » Nec mora, eum catulum in summo periculo versari ratus, dicto citius ad silvam Nicolaus iterum properavit, tempestate adhuc saeviente cum magno fragore caeli fulminibusque micantibus. Contra vim ventorum animose luctatus cum iam in silvam penitus se dedisset, tandem ursulum invenit, humi flebiliter jacentem geluque rigentem, vivum tamen, quem domum in manibus rettulit ibique eum accurate siccatum atque calefactum in mammae gremio leniter deposuit.

Postero die autem, cum et ursula mater et eius natus e vulneribus, quae non graviora fuissent, satis recreati essent, sole tandem splendente avibusque canentibus, Nicolaum valere comiter jusserunt et ad silvam una discesserunt. Nicolao autem summam animi tranquillitate tum fruebatur, quamquam tria responsa adhuc quaeritabat. Ob eam causam testudinem rursus interrogavit.

« Rogasne ? respondit illa ; nonne responsiones jam habes tuas ?

- Tibine credam ? ait Nicolaus.

- Quidni ? addidit illa. Nam nisi mecum heri parumper demoratus esses ut mihi agello pastinando opem adferres, ursulam inter fulmina ac tonitrua auxilium flagitantem non audivisses. Itaque tempus maxime idoneum illud fuit quo pro me humum pastinavisti atque equidem, ita me Deus amet, ea ipse fui cuius dignitas tunc ipsum apud te plus valeret neque quicquam aliud prius habebas quam ut me labore sublevares. Postea, cum ursulam vulneratam nactus esses, tempus prae omni alio tempore opportunum illud fuit quo ursulae eiusque catulo subveniebas neque quicquam aliud tunc quidem plus agendum fuisset quam ut iis salutem ferres qui ipsi apud te plus momenti haberent quacumque alia re. Qua de causa, o puer generosissime, animo mentisque penitus fac haec terna praecepta mandes : nullum aliud tempus esse magis idoneum quam nunc ipsum neminemque praestantiorum esse quam is quocum hoc tempore verseris neque quicquam magis agendum esse quam ut pro virili parte ei homini gratum facias. »

## **Un bon récit vaut bien mieux qu'une leçon**

Après avoir parlé, au commencement de ces chroniques, de la conquête spatiale, pour faire l'éloge de la grandeur de l'Homme plutôt que de blâmer ses turpitudes, nous allons maintenant revenir sur terre, afin de ne pas avoir l'air de fuir le monde comme il va, puisque aussi bien nous écrivons en latin.

De fait, quelques semaines après les aventures de Philae, début janvier, — qui ignore, hélas, ces tristes événements ? — après les attentats terroristes perpétrés en France, une « marche silencieuse » eut lieu à Paris et dans les grandes villes de France. Par là, les Français montraient leur rejet unanime de cette barbarie, et la solidarité de tous les citoyens de ce pays. En cette circonstance, beaucoup d'entre nous eurent le sentiment que cette même liberté que les terroristes avaient voulu faire taire avaient relevé la tête.

Quelque temps plus tard, je me souviens qu'il circulait sur Internet des conseils à l'adresse des parents pour leur expliquer comment parler des attentats à leurs enfants. Au même moment à peu près, des professeurs de collège avouaient leurs difficultés à aborder ce sujet devant leurs élèves, et tous ne parvenaient pas à faire respecter la minute de silence.

C'est alors que le gouvernement a eu l'idée de rétablir les cours de morale à l'école et au collège afin que la jeunesse s'imprègne de nos valeurs le plus tôt possible.

Certains, toutefois, sont sceptiques quant à l'utilité d'un tel enseignement pour maintenir de bonnes relations entre des citoyens de confessions différentes. Du reste, à cet égard, une ou deux maximes peuvent suffire. Ce que dit Socrate dans Platon ne contient-t-il pas l'essentiel ? « Nuire à un ami et à qui que ce soit d'autre, ce n'est pas l'affaire d'un homme juste mais de son contraire : de l'homme injuste. » (*Rép.* , 335 d.)

Et, à vrai dire, existe-t-il, en la matière, rien de plus probant qu'un modèle à imiter ? Pour mon compte, si j'avais été à la place de ces enseignants, peut-être me serais-je contenté de leur raconter une histoire de Tolstoï. La voici :

Il était une fois un excellent garçon qui s'appelait Nicolas. Un problème le tourmentait : savoir quelle était la meilleure façon d'agir.

« J'aimerais bien être bon, disait-il ; pourtant, je ne vois pas toujours clairement ce qu'il faut que je fasse pour cela. J'ai besoin de connaître la réponse à ces trois questions :

Quel est le meilleur moment pour agir ?

Quelle est la personne la plus importante pour moi ?

Quelle est la chose la plus importante à faire ? »

Cet enfant avait trois amis : un héron, un chien et un singe.

« Le meilleur moment, dit le héron, c'est quand on a tout organisé à l'avance. - Moi, dit le singe, je préfère être attentif à tous ce qui se passe. - À mon avis, dit le chien, ce qu'il te faut, c'est un bon gardien. »

Cependant, Nicolas continua à les interroger :

« Et la deuxième question, qu'en pensez-vous ? Quelle doit être la personne la plus importante pour moi ?

- L'homme le plus remarquable, répondit le héron, est celui qui évolue le plus près de Dieu », et, ce disant, l'oiseau fendit l'air de ses ailes.

« D'après moi, c'est celui qui est capable de guérir les malades, dit le singe.

- C'est plutôt celui qui établit les règles », dit le chien.

Quant à la troisième question, sur ce qu'il est le plus important de faire, le héron répondit : « voler » ; le singe : « s'amuser » ; et le chien : « se battre ». Mais aucune de ces réponses n'avait satisfait Nicolas. C'est pourquoi il se décida enfin à aller voir la tortue, qui, selon l'avis universel, avait la réputation d'être sage.

Cet être plein de sagesse habitait au sommet d'une montagne. Nicolas se mit en route avec détermination. Quand il parvint au but qu'il s'était assigné, il trouva la tortue occupée à retourner son terrain, non sans mal. Nicolas lui posa naturellement ses trois questions. Mais la tortue se contenta de lui sourire avec bienveillance.

« Passe-moi ta bêche, dit Nicolas, car tu m'as l'air épuisée par tes efforts. Laisse-moi t'aider. »

Puis il se mit au travail avec tant d'ardeur qu'à la fin il eut bêché tout le petit champ.

Soudain, un grand vent s'éleva ; le ciel se couvrit, et la pluie tomba avec force.

Nicolas courait déjà en direction de la maison pour ne pas être mouillé davantage, quand tout à coup il entendit une voix qui criait à l'aide. Il se dirigea vers la forêt toute proche. Là, un ours femelle gisait pitoyablement, les jambes coincées sous un tronc d'arbre arraché. Nicolas secourut la blessée sur-le-champ. Il l'emporta dans ses bras jusqu'à la maison de la tortue où il la coucha. Elle s'endormit profondément.

Mais elle ne resta pas longtemps endormie. « Où suis-je donc ? s'écria-t-elle sitôt éveillée. Et où est mon petit ? » Nicolas ne perdit pas un instant. Il avait compris que l'ourson courait

un grand danger. Bien que la tempête fît rage, en moins de temps qu'il ne faut pour le dire il fut dans la forêt que zébraient les éclairs et où le tonnerre était assourdissant. Luttant vaillamment contre les bourrasques, il s'enfonça dans la forêt. Il découvrit enfin le petit ours qui pleurait par terre, transi de froid mais vivant. Il le transporta jusqu'à la maison où il le sécha avec soin, le réchauffa, et le remit délicatement dans les bras de sa maman.

Le lendemain, la maman ourse et son petit étaient remis de leurs blessures qui n'étaient pas très graves. Le soleil brillait et les oiseaux chantaient. Les deux ours dirent gentiment au revoir à Nicolas et s'éloignèrent dans la forêt. Nicolas éprouvait un bien-être absolu, quoiqu'il cherchât encore les trois réponses qui lui manquaient. C'est pourquoi il questionna encore une fois la tortue.

« Mais ces réponses, ne les as-tu pas déjà eues ? répondit-elle.

- Vraiment ? fit Nicolas.

- Mais bien sûr. N'est-ce pas, si tu ne t'étais pas attardé auprès de moi pour m'aider à bêcher, tu n'aurais pas entendu l'appel au secours de la maman ourse au milieu des éclairs et du tonnerre. Ainsi, le meilleur moment, ç'a été celui où tu as travaillé la terre à ma place, et je puis affirmer que j'étais alors la personne la plus importante à tes yeux ; d'autre part, rien d'autre au monde ne comptait plus pour toi que de soulager ma peine. Ensuite, quand tu as découvert l'ourse blessée, le moment le plus propice à l'action était celui où tu volais au secours de celle-ci et de son petit ; et il n'y avait rien à ce moment-là de plus important à faire que de secourir ces êtres qui étaient aussi, précisément, ceux qui pour toi comptaient plus que tout autre. Âme généreuse ! Je voudrais que ces trois vérités demeurent gravées au fond de toi : le meilleur moment, c'est cet instant même ; la personne la plus importante n'est autre que celle en compagnie de laquelle tu te trouves à présent ; et ce qu'il y a de mieux à faire, c'est d'être bon avec elle autant qu'il t'est possible. »

**Tags :**

[Tolstoi](#)

[Platon](#)

[socrate](#)

[Enseignement](#)

[Morale](#)

[Connaissance](#)

---